





XXXIX<sup>1</sup>

DE  
CAVSSIS AVCTARVM  
MORALIVM CIVILIVMQVE  
DOCTRINARVM  
PAVCA  
ENCYCLOPAEDIAE MORALI  
CIVILI QVE

INTRA SEMESTRE SPATIVM ABSOLVENDAE

PRAEFATVR

IOANNES GEORGIVS WALther

CONSILIARIUS SAXONICVS MORALIVM ET CIVILIVM

PROFESSOR PVBL. ORDIN. ATQVE EPHORVS ALVMN.

REGIOELECTORALIVM

---

VITEMBERGAE 1717 CC LVII

---

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS



## C O N S P E C T V S

- I Proclusis huius occasio  
 II Encyclopaediae notio paucis euoluta: eius, et Cursus, quem dicunt, differentia  
 III Auctarum moralium ciuilium, que doctrinarum causae historicae, in aliud dilatae tempus  
 IIII Philosophiae sunt Naturalium et Statuum varietas, et Legum Morumque diuersa ratio  
 V Philosophiae Practicæ munus est, naturales leges moresque variis statibus naturalibus aptare  
 VI Status Naturalis Originarius expositus,  
 VII et Status Naturalis Aduenticius: uterque efficit Statum mere Naturalem  
 VIII Status Socialis natura et indoles  
 VIII Separatam postulat doctrinam  
 X Status Ciuilis. Externus Gentium dicitur  
 XI Status Ciuilis Interni varietas et magnitudo: quod iurium et legum, quibus continentur, multitudine ostenditur  
 XII Status Ecclesiasticus. Externus bisariam confideratur  
 XIII Internus Ecclesiae status, a ciuitati diuersus, cum externo, sciuntur etiam requirit artem
- XIIII Status Gentium, multa quidem ex parte mere naturalis, propter nova tamen amplissimi usus infra seorsum spectandus  
 XV Legum et Morum diuersa ratio. Morum genera definita ratione legum, hominum, statuum. Sapientia Ciceronis in legibus moribusque sciungendis  
 XVI Statuum, Legum, et Morum confusio pernicies practicæ philosophiae. L. B. de Senckenberg iudicium de opere Pufendorfiano  
 XVII Moralium et Ciuilium artium disciplinarumque ratio expostra: sigillatim Philosophiae Practicæ Vniuersalis  
 XVIII Ius Naturae in solis Naturalibus, et Iuribus, et Legibus, ad statum mere naturalem spectantibus, versari debet  
 XVIII Ethica Mores, videlicet virtutes, officia, et decorum, respectu habito ad statum eundem, explicat  
 XX Ius Sociale tradit Iura et Leges status socialis, sive Societatum minorum, inde a coningio ad pagum et vicum usque  
 XXI Oeconomia Priuata Mores statutus huius socialis: atque illos duos vel ab iure sociali, vel ab experientia; hinc duplex genus Oeconomiae Priuatae



- XXII Ius Publicum Vniuersale fundat Iuribus Legibusque statum ciuilem internum. Ulrici Huberi merita
- XXIII et Ius Ecclesiasticum Vniuersale statum externum internumqne Ecclesiac. Huius praecipui auctores
- XXIV Vtrum Ius Ciuale Priuatum Vniuersale separatis sit tradandum, nec ne? Theoria Iurium Ciuilium
- XXV Iuris Feudalis Vniuersalis ratio et necessitas
- XXVI Ius Gentium Vniuersale, atque Europaeum
- XXVII Politica in vniuersum Mores Ciuiiles conformata, atque est vel Publica, vel Priuata
- XXVIII Oeconomia Publica sigillatim Negotia Ciivilia tractat, quibus Reipublicae opes et diuitiae parantur, seruanturque
- XXIX Eius principes auctores, et necessitas
- XXX Prudentia vero Aulica, et Legationum, ea Negotia, Publica, quibus dignitas et decus Reipublicae domi forasque sustinetur
- XXXI et Politia Negotia Priuata, quibus singulorum felicitas consistit
- XXXII Notitia Politica Regn. et Rerumpubl. Mores Ethicos, Oeconomicos, Ciuiiles, Religiosos, et Caerimoniales cum Iuribus et Legibus singularris Gentium Europaearum docet
- XXXIII Huius fata, et litterarum adiumenta, nostra actate
- XXXIV Politica tandem Imperialis Notitiam Politicam imperii germanici nostri suppeditat
- XXXV Moralium et ciuilium doctrinarum brevis descriptio memoriae causa
- XXXVI Encyclopaediae moralis ciuitisque utilitas
- XXXVII Eius lectionibus publicis a nobis tradendae,
- XXXVIII atque ipsarum scholarum moralium ciuiliumque, et Publice, et Priuatim, et Priuatissime, habendarum ratio,
- XXXIX item reliquarum, quae extra hanc Encyclopaediam positae sunt
- XXXX Conclusio





## I

**I**N catalogo lectionum publico Encyclopaediam Moralem Ciulemque publice tradere, atque intra semestre spatium finire promisi, fecique illud, et auctoritate MAECENA TVM SVMMORVM nostrorum, et celeberrimorum, praecipue in Academia Goettingensi, virorum exemplo. Horum enim aliis in Encyclopaediam Theologicam, aliis in Iuridicam, aliis in Medicam, aliis in Physicam et Mathematicam, harum doctrinarum studiosos publice introducit <sup>1)</sup>. Conuenerunt me deinceps Commilitonum Honoratissimorum quidam, atque ex me consilii capti quaesuerunt rationes: quod vulgatum quendam philosophiae practicae, quem dicunt, Cursum significare me putarent. Respondi, quae in rem praesentem essent. Sensi tamen, non nullos mirari tot doctrinae moralis genera, et, praeter necessitatem multiplicata, exigitimare. In quam opinionem cum claros quoque in litteris viros adductos vidissim: non

A 3

alie-

1) Cf. Cel. Io. Matthias Gesnerus in primis lineis Isagoges in eruditio- nes universalem, Goettingae 1756, et quidem in praefat.



alienum putauit, caussas auctarum moralium ciuiliumque  
artium et disciplinarum exponere sub initium preelectionum

## II

SATIS autem constat, Encyclopaediam, sive Encyclion Paediam, a Graecis, omnis doctrinae liberalis magistris, profectam esse. His, Quintiliano auctore<sup>2)</sup>, orbis est doctrinae, et Vitruvio, encylios doctrinarum omnium disciplina, atque adeo eiusmodi orbis, qui omnes ad scientiam quandam spectantes partes, et totidem veluti artes, comprehendat ita, ut, una demta, integer non putetur orbis ille, neque encylios doctrina appelletur<sup>3)</sup>. Proinde nihil opus est monere, a cursu, quem vocant, differre Encyclopaediam. Nam ille aut paucas, aut praecipuas, sicut scientiae propositae partes: haec vero omnes, quae et scriptis mandantur, et docentur in Academiis. Quae vero nondum in disciplinae iustae figuram et habitum formatae sunt, etiam si formari possunt, eas extra hunc orbem collocatas putamus, atque in sermone explicabimus data occasione

## III

UT autem nostra aetate magno incremento aucta est fere scientia quaeque: sic in primis multo latius, quam superiore, patet moralis ciuilisque doctrinae campus. Et dignitas atque amplirudo rerum ipsarum, et temporum mutationes, et vita per artes exculta, et publicorum negotiorum cura maior, et vicissitudines rerum publicarum, et docti viri, studia decoris ciuilis tuendi augendique acimulantes,

<sup>2)</sup> Quintilianus in Instit. Orat. L. I. C. X. Vitruvius de Archit. L. VI. in praef. p. 102. ed. de Laer. cf. quae Perraultus in gallica versi-

one Vitruuii ad huius L. I. c. I. p. 8. n. 26. obseruavit

<sup>3)</sup> Vedit hoc Cel. Gesnerus quoque in Thesauro L. L. h. v.

lantes, ut alia taceamus, illius protulerunt fines, ut loco duarum, triumque, ad summum quatuor, artium ac disciplinarum, quibus maiores nostri, et multi etiam nunc, circuitum philosophiae practicae consciunt, in praesentia ad minimum sedecim cernas. Sed harum etiam si fortuitam plurimum videoas originem, rebus tamen animo agitatis, omnium aperies philosophos, a quibus ductae sint, aut dendae, fontes

## III

PLVRA doctrinae moralis ciuilisque genera, si via et ratione progredi velis, postulat naturalium et statuum varietas, et legum morumque diuersa ratio: quod paucis monstrare animus est. Hic doctrinarum moralium ortus cum ab interiore philosophia practica repetatur, philosophus dicendus, atque ab historico sciungendus est, alio tempore inuestigandus

## V

PHILOSOPHIA practica, quae in conformandis hominum actionibus versatur, tanquam materiem sibi subiectam, tractat Naturales, et Leges, et Mores. Ut enim leges sine moribus nihil proficiunt, Horatio monente 4), sic sine legis nulli sunt boni mores. Naturales dicuntur, quod e fontibus solius naturae et rationis hauriuntur, sine ullo legislatoris humani iussu. Fundant vero, et ornant, omnes eos hominum status, in quibus libertati naturali locus est, atque adeo non mere naturalem modo, sed socialem, sed ciuilem, sed ecclesiasticum, sed gentium quoque: qui omnes tantum naturales reperiuntur status, quantum superioris, et domini, arbitrio non subsunt. Statum appellamus conditionem, qua homines, respectu maxime ad alios, alias res, habito, actiones vel edunt, vel edere debent

## VI

4) Horatius Carminum Lib. III. Od. XXIII, 34. 35



IAM vero primum omnium ipsa Natura nos in praeclaro collocauit statu, sine nostro, aut alterius, interuentu: qui iuribus eiusmodi legibusque munitus est, vt nemo sine manifesto scelere eum turbare possit. Hic solis continetur Iuribus Innatis, Legibusque iis, quibus illa iura circumscribuntur: Iuribus Conseruationis, Securitatis, et quae inde oriuntur, Defensionis, Recuperationis, Punctionis, tum Iuribus Cognitionis et Veri, Felicitatis, Autonomiae, Auturgiae, Existimationis simplicis, Sensuum, Colendi DEVm, aliis, praecipue Aequalitatis, et Libertatis, quibus, tamquam fundamentis, omnia Innata Iura nituntur. His Iuribus tanta ineft necessitas, vt ab horum multis ne transuersum quidem ynguem, quod aiunt, recedere queas, tanta dignitas, vt omnes reliqui hominum status hoc feliciores merito putes, quo plura eiusmodi Iura Innata integra, atque sarta et tecta, quod dicunt, conseruent. Hunc *Statum Naturalem Originarium* appellant.

PRO Iuribus his, a Natura ipsa datis, non omnia tantum agere, saluis aliorum iuribus, possumus, sed iis quoque vti ad acquirenda noua. Sic iuribus ingeneratis nixi iam res nullius recte occupamus sine alterius consensu, iam occupatas ab aliis, communes vel proprias, consequimur pactis: iam accessionibus fruimur rerum naturalium, artificialium, industrialium, quas vocant: iam res alterius, aut viuo eo, divisione, cessione, remissione, repudiatione, renuntiatione, consolidatione, aut mortuo, occupatione, vel iure hereditario, obtinemus: iam seruitutes, sive iura in re aliena, comparamus, iam contractibus explicamus commercia, et quae huius generis alia feruntur. Vniuersa haec Iura Acquisita efficiunt *Statum Aduenticium*: qui vna cum superiore confi-

conficit Statum mere Naturalem: quod in vtroque plena reperiuntur iura aequalitatis et libertatis, sine vlo imperio adiuncto. In vtroque fit respectus, praeter DEV M, ad eam, quam cum vniuerso genere humano habemus communitatem, nulla societatis cuiusdam singularis habita ratione. Ab hoc naturali, praesertim aduenticio, statu omnis manat germana Iurisprudentia, vt nonnulli Iuris doctrinam de aduenticio statu Iurisprudentiae Vniuersalis nomine complectantur

## VIII

**S T A T U S S o c i a l i s** pacto inter singulos constituitur, vt vniuersi in fine quodam consequendo elaborent. Socii cum propter securitatem, aut aliis de caussis, societatem ineant, partem iurium suorum suorum innatorum in commune, atque in societatem conferant, necesse est, vt eo melius Iuribus Naturalibus reliquis frui, nouaque consequi possint. Proinde societatum, ciuitati nondum subiectarum, status externus idem est, qui mere naturalis. Sunt inter se aequales liberaeque: vtuntur vniuerso Securitatis iure: figunt ex arbitratu statum ascitum. Internus contra multa adipiscitur iura noua, atque in vniuersum quidem Iura Comitiorum, Suffragiorum, Imperii: sigillatim, vt hoc vtar, in matrimoniali statu, in quo, vt recte monet Cicero, 5) prima hominum est societas, Iura procreandi, et procreatios educandi, Ius mariti atque vxoris, Iura inde nascentia Successionis, Consanguinitatis, Affinitatis, Familiae, alia. Idem de minoribus aliis societatis, quarum multa sunt genera, etsi quatuor vulgo tantum explicentur 6), dicendum

## B

## VIII

5) Cicero de Officiis L. I. C. 17 in Oeconomiae Wolfianae P. II. p.  
6) Vicum addidit Cel, Hannouius 688. seqq



## VIII

HARVM Societatum etiam si respectus inter ipsas naturalis manet, tamen nouus accedit, qui longe arctioribus describitur finibus, atque ab immensa generis humani consociatione in angustum concluditur, vt vel coniugio, vel patria herilique potestate, vel vna domo, vel uno pago vicoque, vel collegio alio et corpore, contineatur. Quoniam statui huic sociali et applicanda sunt iura naturalia, et noua, iuribus iis consentanea ratione, aptanda: consequens est, vt separatum postuler disciplinae genus, atque cum statu mere naturali non debeat misceri: quod nostra aetate a quibusdam recte, et laudabiliter, factum est 7)

## X

STATVS CIVILIS pacto fit inter societas minores, vt securitatem, tranquillitatem, et rerum, ad vitam necessariarum, copiam consequantur. Hic sociali multo latius patet: in nonnullis tamea conuenit cum eo. Singulæ societas, maximam illam in terris societatem communis et salutis et periculi, quam Ciuitatem, vel Rempublicam, dicunt, constituentes, itidem suorum iurium partem in ciuitatem transferunt, vt reliqua iura sua, et innata, et acquisita, tenere melius, et tranquille placideque vitam traducere queant. Hinc Externus Ciuitatum Status plurimum manet mere naturalis. Utuntur iuribus aequalitatis, libertatis, securitatis: collocant libere statum arcensitum. Sed nouus subinde, necessitate duce, comite ratione, oritur status, qui, vna cum illo superiore, Gentium dicitur. Hunc pro rerum varietate, et magnitudine, seorsum a reliquo corpore ciuali considerant iuris naturalis doctores: de quo deinceps exponemus

## XI

7) v. c. a B. Christiano Wolfio, Joachimo Georgio Daries, Cl. Her-Cel. Gottfriedo Achenwall, Cel.mann. Fried. Kahrel, aliis

## XI

SED non minor est *Interni Status Civilis* tum varietas, tum etiam magnitudo. Quam longe enim lateque difusa sunt negotia publica priuataque, quibus reipublicae salus administratur, et quibus in publico priuatoque statu Ciuitas consistit. Salus enim haec et securitate, ut diximus, et tranquillitate, et rerum idonea copia nititur, atque adeo multorum ut ciuilium negotiorum, sic iurium quoque, efficiens est. Horum, quae maiestatica dicuntur, alia vniuersam continent Ciuitatis salutem, ut legum ferendarum, et iudiciorum exercendorum, Potestas, ut Ius poenas irrogandi, ut agratiandi, quod dicunt, Ius, ut dignitatum Ius atque hororum, ut Iura gladii, vitae et necis, ut Ius administrorum et magistratus constituendi. Alia pertinent ad certa genera publicae salutis. Sic securitatem et dignitatem reipublicae tuerentur Iura aerarii et fisci, Iura domania, quae vocant, et vectigalium tributorumque, Ius militiae et propugnaculorum, Ius paetionum, ut ea sileamus, quae Iure Gentium comprehenduntur. Alia referas ad rerum copiam, et vitae ciuilis genera diuersa, ut Ius politiae, Ius commerciorum, Ius scholarum inferiorum superiorumque, Ius collegiorum et corporum. Alia denique ad tranquillitatem. Hanc conseruant illa personalia realiaque iura priuata, quae ex fonte Iurisprudentiae Vniuersalis, et Socialis, manant. Spectat eo Ius circa sacra, quod imperantis est, videre, ne quid detrimenti capiat Ciuitas ex ecclesia: item Ius summae Inspectionis. Ab his Iuribus ducuntur negotia ciuilia: de quorum adeo multitudine et grauitate, ut breuiores simus, ex ipsis iuribus, a quibus repetuntur, coniecturam facere quisque potest

## XII

STATVS hic ciuilis suo ambitu inde ab antiquissimis  
B 2 tem.



temporibus *Statum Ecclesiasticum*<sup>8)</sup> est complexus. Hic in ipsa ciuitate nouam rerum, et negotiorum, faciem ostendit. Cum enim Ecclesia societas sit, ob religionem, DEO tribuendam, constituta, et Religio cultus diuini institutio: *Externus* eius status, qua alias respicit societas ecclesiasticas, mere est naturalis, et iuribus munitur aequalitatis, libertatis, et securitatis: qua vero spectat ad Rempublicam, cuius territorio tenetur, ciuilis reperitur ex pacto subiectonis, ne quid contra salutem ciuitatis, cuius praesidio tegitur, Ecclesia moliatur

## XIII

**I**NTERNVS contra *Ecclesiae Status* est socialis, et ita quidem, ut plurima ex parte societatem exhibeat aequalem, propter aequalia et paria Iura Cognitionis et Veri, Colendi DEV M, Reuelationem, diuinitus traditam, conseruandi sumque faciendi, Fidei symbola, sive formulas, condendi, alia: quod vero ad religionis arbitria, et rerum in Ecclesia administrandarum modum, attinet, inaequalem. Differt autem vniuersa potestas ecclesiastica a regimine ciuili: differunt omnia negotia sacra a ciuilibus, si internum consideres cultum diuinum. Diuersa haec Status Ecclesiastici ratio separata sibi vindicat iuris et morum disciplinam

## XIV

**S**TATVS denique *Gentium* ortum trahit a ciuitatis ciusque statu externo, cum aliis gentibus collato. Quia gentes

8) In Ecclesiam statum conuenire, multi negant: sed usurpant statutus definitionem nimis angustam, qualis Pufendorfius quoque in libro aliquin praeclaro de habitu religionis christianae §. 11. extr. vbi statutum, dicit, coniunctionem, pluri-

um hominum, quae imperio per homines administrato sibi proprio, et aliunde non dependente continetur. Ipse praeter ciuilem alios quoque status admittit in I. N. et G. L. I. C. 1. §. 6. seqq'



tes inter se aequales sunt, et liberae, ita, ut nulla superior sit, nulla alteri dominans: in vniuersum Status Gentium manet mere naturalis. At vero in comparandis his iuribus naturalibus cum Gentium negotiis, eadem propemodum varietas, quae in iisdem referendis ad Ciuitatis Statum Internum, viu venit. Et conseruatio, et dignitas Gentium inter se, multa desiderat, quibus singulis sine hoc respectu opus non fuisset. Ut enim e multis hoc vtatur, commerciorum ius a singulis ad gentes traductum, quae capit incrementa? Hic, vel a necessitate, vel ab utilitate, profecta cernas Emporia, Portus, Iura stapulae, transitus, commorandi in territorio alieno, Consulum, alia. Rursus naturalis illa defensio, recuperatio, et punitio, quae tam paucis definiuntur legibus, mirum quantum augeantur inter gentes, et quot bella pariant publica, priuata, mixta, interna, externa, alia: in quibus singulis nascuntur Gentium aut pactis, aut consuetudinibus, aut ipsa earum indole, iura noua: ut foederum reliquorum, pactiorum, praecipue legationum, latissime patentem fileamus rationem. In his eruendis, pro rerum magnitudine et multitudine, peculiaris necessaria est inuestigatio

## XV

SED non statuum modo naturalium varia ratio, sed ipsis in his statibus *Legum* et *Morum* differentia, auget numerum artium et disciplinarum. *Leges enim Naturales* cum viuendi regulae sint a natura, siue potius naturae auctore, DEO profectae, semper moralem imponunt actionibus nostris necessitatem, atque immutabiles sunt. *Mores contra*, qui in ipsis vitae modo et actione consistunt, prudentia plurimum ponit, et saepe probabilitas singit, et mutat. *Mores enim in vniuersum* sunt certae et fixae agendi rationes, a mentis ortae affectione<sup>9)</sup>: sigillatim *Boni* comparati cum

B 3 legibus,

9) Christ. Wolfius in Phil. Pr. Vn. T. II, p. 629. Moris definitio-nem



legibus, quas in ipso vitae rerumque cursu seruant, *Officia* dicuntur: relati ad animi excellentiam, et firmam facilitatem legi satisfaciendi, atque adeo omnes officii partes implendi, *Virtutes* sunt, officiorum germanorum fontes: spectati ex arbitrio humano, in re licita versante, *Consuetudines bonae*, ex dignitate vero externa, et studio aliis placendi, *Decorum* vocantur. Officiis sceleris, virtutibus vitia, consuetudinibus bonis malae; decoro indecorum, opponuntur, ut inter omnes constat. Iam vero mores boni, ut his ad rem comprobandam utamur, tantum necessarii reperiuntur, quantum legibus praecepti sunt: quatenus vero pertinent ad ipsam vitae actionem, praecipue ad remedia, quibus ad legem obseruandam, finemque obtainendum, utendum est, ex ea parte a prudentia, quae potissimum in remediorum invenzione et delectu versatur, et verisimilitudine plurimum, reguntur. Morum praecipue, legibus permislorum, sola rectrix est accurata locorum, temporum, hominum, consideratio, eorumque comparatio cum felicitate humana. Huc referas eleganter a Cicerone dictum: multa circumspicienda sunt in omni officio, et consuetudo exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus, et addendo deducendoque videre, quae reliqui summa fiat; ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas<sup>10)</sup>. Haec enim Cicero. Reete igitur Legum ab Officiorum sciungit disquisitionem. Illas tribus libris separatim ita tractat, ut naturalium legum diuinum ortum, atque immutabilitatem, ostendat, tum vero praecipuas, ex natura haustas, explicet leges. De his vero officiis et moribus itidem tribus exponi libris, sed ut illam perfectionem sapientis stoici, quem officiis quibusdam perfectis non tam vitae, quam scholae causa-

nem difficilem putat, et propterea neglectam adhuc a moralis doctrinae auctoribus: ipse definit, iden-

titatem agendi in eodem casu

10) Cicero in Offic. E. I. C. 18

caussa, informabant, et quem Cicero in terris, sciebat, minime versari, non attingeret, contra officii studium, quod in omnes caderet, quod omnes redderet felices, inculcaret, et cuius officii pluriūm ratio probabilis tantum reddi posset. Rursus quemadmodum Legum, sic Morum, varietas a statuum quoque naturalium pendet diuersa ratione. Horum caussa mores alii sunt mere naturales, a sola mentis praestantia, aut labo, orti, quos *Ethicos* nuncupes: alii simul a societatum et vitae communis natura ducti, quos *Sociales*, vel *Oeconomicos*, dicas: alii *Civiles*, quos in negotiis videoas publicis priuatisque ciuitatum: alii *Religiosi*, ad cultum diuinum in societate ecclesiastica spectantes: alii *Gentium*, quibus in conuentibus et legationibus uti consuerunt: alii denique mere vicarii, qui, cum alias mores, sed abditos, repraesentent, *Caerimoniales* appellari possunt. Horum perinde ac statuum ipsorum late patet ratio

## XVI

NATURALIVM, et statuum, et legum, et morum, confusio, superioribus temporibus, magna detimenta importauit practicae philosophiae. Post litteras instauratas, mature quidem Politica ab Ethica distincta, sed ita, ut iura naturalia, romana, alia gentium positiva, status omnes, leges et mores, continenter reperias mixta. Ius quoque Naturae deinceps, seorsum a reliqua doctrina morali, cultum: at vero ab ipsis instauratoribus neque statuum naturalium, neque legum et morum, neque obligationis et prudentiae, quarum in primis diuersissima ratio est, delectus habitus, et perturbatio euitata. Obligatio enim in morali necessitate agendi, a superiore orta, ponitur; prudentia vero est consilii capiendi ratio ex rerum natura sine superiore. Tantum rerum diuersarum permutatio effecit, ut docti viri Ius Natu-



Naturae vere proprieque dictum in ipsis de Iure Naturae voluminibus quaerere inciperent: quod L. B. de Senckenberg nuper admodum de Pufendorfiano I. N. et G. ope- re dixit <sup>11)</sup>. Laetior plurimum moralis ciuilisque doctrinae facies nostra extitit aetate: nam longe melius rerum earum fines regi sunt coepiti. Sed age, quae tot doctrinorum ratio aut constituta iam sit, aut constitui possit, et debeat, paucissimis videamus: vt nullius tamen examinemus sententiam, nostram proferamus modo

## XVII

PRIMA omnium est *Philosophia Practica Vniuersalis*, quae practicae ratione eadem, atque Ontologia theoreticae philosophiae, munit viam. Haec naturalium statuum, legum, iurium, morum, notiones, principia, genera, partitiones, proprietates, theorematata, adeo euoluat, vt fundamenta iaciat reliquarum disciplinarum. Formam huic disciplinae primus induit B. Christianus Wolfius voluminibus duobus. Sed breuitatis et temporis caussa, quibus in academicis lectionibus studendum, pars de natura hominis morali, de statibus, et legibus praecipiens, Iuri Naturali, pars vero de moribus agens, Ethicae praemitti potest: quod nos quoque facimus

## XVIII

STATVS mere naturalis Iura et Leges *Ius Naturale* explanat: quae tantae sunt amplitudinis, vt magnum conficiant artis et disciplinae orbem: tantae necessitatis, vt nihil probabilis, atque incerti, admittant: tantae difficultatis, praesertim inter diuersa, et contraria saepe, doctorum studia, vt, motis tot controversiis, mens tota in iis occupata esse debeat: tantae dignitatis, vt ex iis omnis

11) Ill. Henric. Christianus L. B. prudentiae, Francofurti ad Moe-  
de Senckenberg in Methodo Iuris- num 1756. p. 92. b

omnis iusti et honesti disciplina fluat. Idcirco huius indoli consentaneum non est, ipsiusque legis naturalis vim infringit et debilitat, ut ordinem taceamus, quem vehementer turbat, ipsiusque iuris naturalis argumentum, quod nimium dilatatur, cum eius circuitum moram et officiorum, quod saepe fit, ingreditur tractatio: in qua tot partes, et saepe priores, tenent prudentia, et probabilitas, quarum tamen ratio abest ab illa legum naturalium necessitate morali.

## XVIII

**A**T VERO *Ethica* est, quae ad leges, in Iure Naturali erutas, huius status mere naturalis recte explicat vniuersos mores. Quia sine virtute mores nulli boni, nedum constantes, et pro habitu vitae humanae perfecti sunt: primum omnium huius Virtutis, quae natura sua omnino una est<sup>12)</sup>, indolem sifstat, finem, in felicitate germana, et conscientia recte factorum, positum, ostendat, adiumenta atque impedimenta tradat, et tandem philosopham eius cum christiana contendat rationem. Tum expedita erit via, aditusque patet ad officia, et nobis, et aliis hominibus, praestanda: in quibus explicandis Ethica adeo respiciat vniuersum genus humanum, atque illam, quae a natura est, omnium hominum conciliationem et consociationem. Neque tamen omittat Decorum illud Naturale, quod totum, Cicerone auctore, cum virtute confusum est: cernitur tamen in omnibus

C

bus

12) Vnam virtutem ponunt praeter veteres, de quibus cf. Gassendus in *Animaduerf. ad L. X. Diogen. Laertii* p. 1437. recentiores Geulinx in *praef. Ethics*, Hassler in *Synopsi* p. 145. § 55. seqq. Mos-

hemius in der *Sittenlehre der Heil. Schrift* T. IIII. p. 30. seqq. S. V. Walchius in der *Einleitung in die Philosophie* p. 424. Cel. Daries in der *philosophischen Sittenlehre* p. 14. et p. 64



bus factis et dictis, in corporis quoque motu statuque, atque omnia personis, temporibus, aetatibus, aptat <sup>13)</sup>. Tandem quod DEO, natura dico, debeamus, euoluat. Atque his, vt decet, aestimatis, dubium, quod multis visum, esse non potest, in doctrinarum orbe Ethicam post Ius Naturale ponendam esse, propterea, quod sine legis Naturalis comprehensa animo cognitione, neque virtus, neque officium, neque decorum naturale, intelligi queat

## XX

IN STATVS socialis iuribus et legibus inueniendis exponendisque versatur *Ius Sociale*: nimirum coniugii, societatis paternae, herilis, domesticae, pagi vicique, et reliquorum collegiorum corporumque. Sunt enim singulis his societatis ira leges sua, ita iura sua, vt, nisi separatim exposueris, a confusione non possis liberare. Fuerunt, qui fines huius Iuris quondam iusto longius proferrent, ipsumque Ius Societatis in tanto quasi dominatu locarent, vt omnem practicam philosophiam eius subiicerent tutelae: sed recte nostra aetate de hoc gradu deiecitum, atque in minores modo societas conclusum est. Interim insignis eius et ortus reperitur, et usus. Iura enim Socialia medium quasi locum tenent inter proprie Naturalia, et Civilia, iura. Ab illis ortum trahunt, quod vidimus, et ipsum quoque Societatis Ius, ingenitum nobis, declarat: his autem patefaciunt viam, siue originem Ciuitatum consideres,

siue

<sup>13)</sup> Decori disciplinam singularem multi faciunt. Quia vero Decori variae sunt rationes, vt aliud sit naturale, quod ad omnes homines, aliud sociale, quod ad paucos, et societate nobiscum coniunctos, spectat: aliud civile, idque rursus in

negotiorum publicis priuatisque diuersum: aliud religiosum, et denique aliud gentium, quo belli pacisque temporibus utruncur: singula in singulis harum doctrinarum disciplinis nobis tradenda videntur



sue constitutionem, atque intra ciuitatem culta augent o-  
pes eius, et sustinent tranquillitatem. Hoc magis igitur  
vtriusque iuris, socialis et ciuilis, timenda permisio, quo  
propius inter se contingut

## XXI

MORES status socialis *Oeconomicia Priuata* tradit, et  
primum exhibet virtutes sociales oeconomicasque, quae  
officia iuvant oeconomica, et quarum primaria est Socia-  
litas, a Plinio in Traiano laudata. Nam et si vna recte  
ponatur virtus, mentis humanae respectu, quae facilita-  
te quadam, et voluptate, leges seruat, tamen, relata ad  
varias res obiectas, varias prodit affectiones, quibus vir-  
tutum nomen imponunt. Ipsa socialia Officia atque oco-  
nomica a duobus fontibus nostra aetate ducuntur: et  
primum quidem a foliis legibus et iuribus socialibus. Haec  
illa sunt, quae in amplissimo de *Oeconomica* volumine Wol-  
fianio et Hanouiano exponuntur. Ad hoc officiorum genus  
referendum est *Decorum Sociale*, multis de causis non ne-  
gligendum: a quo plurimarum quoque caerimoniarum ori-  
gines petas. Alterum genus officiorum docuit longa vita,  
atque usus rerum oeconomicarum. Versatur in rebus ipsis  
ad vitam necessariis, quae vel fruges terrae sunt, vel ani-  
malia, vel metalla, aliaque ex terrae visceribus, et fluminis-  
bus, deponita. Complectitur autem primum *Agriculturam*,  
ad quam non modo agricolatio, sed pecudum, et fo-  
dinarum quoque, cultura pertinet: tum *Opificia*, varia  
quondam Romae fortuna iactata, sed deinceps mirum in  
modum culta: et tandem *Mercaturam*, qua nostris temporis  
Reipublicae nerui, neque immerito, contineri putantur.  
Diuiditur in rusticam, et oppidanam: quarum utraque, no-  
stra aetate, laboribus scientissimorum, et doctissimorum  
quoque, hominum insignia adiumenta est consecuta, pae-  
siftim Pauli Iacobi Marpergeri, Godfridi Augusti Hofman-  
ni,



ni, I. Mortimeri, Angli, Georgii Henrici Zinckii, Io. Henrici Gottlob de Iusti, Friderici Ulrici Stisseri, Iusti Christophori Dithmari, Christophori Hermanni de Schweder, multorumque aliorum, opera et studio: ut fere aetas nostra ad res oeconomicas physicasque tractandas conuersa videatur

## XXII

STATVS porro Ciuilis Leges et Iura tanta sunt multitudine, dignitate, difficultate, ut iamdiu, quod constat, pluribus disciplinis explicitentur. Et Internus, et hoc comprehensus Ecclesiasticus, et Externus Ciuitatis status suas naucti sunt institutiones. Nam quod ad Internum attinet, eius leges et iura, a nobis § XI ex parte delineata, *Ius Publicum Vniuersale* tradit. Munus autem huius est, non solas has leges et iura exhibere, sed ante oculos quasi ponere ipsam Ciuitatis exaedificationem, nimirum pacta, quibus societates minores in ciuitates coalescant, imperii ciuilis genera, huius et transferendi, et habendi, modos, legum fundamentalium, subiectionisque, tum Democratiae, Aristocratiae, Monarchiae, oppositarumque formarum, atque ipsius Reipublicae ordinandae, naturam. Primus a politica seinxit doctrinam hanc Ulricus Huberus <sup>14)</sup>, fere omnes deinceps, qui eum sequerentur, nauctus iuris naturalis, et politices, doctores

## XXIII

ECCLESIAE statum vtrumque informat *Ius Ecclesiasticum Vniuersale*. Nam etsi Externus, qua ad Ciuitatem,

<sup>14)</sup> Ipse hoc Huberus in Praef. ad Ius Ciuitatis, sive nouam Iuris Publ. Vniuersal. disciplinam, de se, acque falso, praedicat. Prodiit de-

inceps hoc Ius cum Christ. Thomasi, Franckfurti et Lipsiae 1703, et Nicolai Christophori L. B. de Lyncker, ibid. 1752. obseruationibus

tem, in quam recepta Ecclesia est, refertur, eius Rectori subdit, atque efficiat Ius maiestaticum circa sacra: idem tamen status Externus, ad alias spectans Ecclesiis, mere est naturalis, iuribus libertatis, aequalitatis, securitatis ornatus. Internus contra omnis a ciuili ratione proorsus abit, atque sua, quibus innitatur, habet fundamenta. Quin ipsum Ius circa sacra comparatum est ita, vt, nisi euoluta vniuersa Ecclesiae indole, definiri adcurate nullo modo queat. Ceteroquin huius iuris quoque est, Religionis necessaria, et arbitraria, fecernere, vt aditus sit ad Iura eius obligatoria, et merae facultatis, inuenienda. Tum Unionis definitat pactum, quo aequalis, et Administrationis, quo inaequalis fit, certo modo, Ecclesiae societas: et tandem Subiectionis pactum, quo in vnum cum ciuitate redigitur corpus. Rursus limites ponat Potestatis Ecclesiasticae, et Iuris circa sacra, vt tum Religionis et Ecclesiae dignitati, tum etiam Reipublicae, et ciuium tranquillitati, consulat. Porro negotiorum ecclesiasticorum iura et leges constitutat, et quia his tanta non infest, quanta ciuilibus, varietas et difficultas, tandem virtutes atque officia, fere in promptu posita, addat, Decorumque Religiosum sociorum omnium, qui vel docentium, vel audiendum, munere funguntur. Haec vniuersa peculiaris artis et disciplinae argumentum confidere, qui neget, fore neminem puto. Idcirco separatum a quibusdam tractatum est, nominatim a Georgio God. Keuffelio, Isr. Gottlieb Canzio, et Ioachimo Georgio Daries<sup>15)</sup>. Christ. Wolfius vero leuiter tacitum illico dimisit<sup>16)</sup>.

## C 3

## XXIII

<sup>15)</sup> Cel. Keuffelius, Mor. et Pol. P. P. in Academia Helmstadiensi, edidit Elementa Iurisprudentiae Ecclesiasticae Vniuersalis, Rostochii cum Moschiana praef. 1728, atque in Prolegomi. p. r. monuit, neminem tunc temporis integrum

hoc ius litteris explicare adgressum esse. Idem Ius exposuit Canzius in Disciplinis moral. p. 735. seqq. Daries in Institut. Iurispr. Vniuers. p. 497. seqq.

<sup>16)</sup> Wolfius in Iuris Nat. T. VIII. p. 344. seqq.



## XIII

A IVRE publico vniuersali nonnulli, nostra aetate, *Ius Ciuale Vniuersale*, siue *Ius Priuatum Vniuersale*, sciungunt: quo Status Priuati in Ciuitate leges, et iura, quibus ciuium officia priuata, paria et mutua, regantur, intelligunt. Quia vero haec vniuersa a statibus naturalibus, originario, aduenticio, sociali, sunt repetenda, ipsa quoque constitutio eorum ad Superioris in ciuitate arbitrium conferenda est: nihil a philosopho hic expectari potest, nisi Legum Ciuilium condendarum modus, cuius naturalis ratio et est, et paucis comprehendi regulis potest. Proinde nos, quod Christianum quoque Wolfium fecisse animaduertimus, Iuri Publico Vniuersali iungimus *Theoriam Legum Ciuilium*, quas positivas dicunt

## XXV

ALIA ratio est *Iuris Feudalis Vniuersalis*: cuius constituendi consilia primus Gottl. Samuel Treuerus dedit, explicauit uero et confecit Christianus Wolfius<sup>17)</sup>. Nam etsi Feudum a dominio vtili, quod in statu mere naturali, eoque aduenticio, iam locum habet, oritur: accedit tamen res noua, fidelitas praestanda, cuius multi constitui limites, et modi naturales possunt, quos eruere, iuris quoque feudalis positivi interest: quod in eo saepius, praesertim vasallo proprio non subiecto, res controuerfa redit ad ius naturale. Potest autem Ius hoc Feudale vel statim cum iure naturali, proprie dicto, coniungi, vti a Wolfio factum est, vel, quod malimus, iuri gentium addi: cum multa in ciuitate, quin ciuitates et regna quaedam, saluo statu naturali

<sup>17)</sup> Gottlob Sam. Treuer Paediam Iuris Feudalis Vniuersalis dedit in Parergis Goettingensibus T. I. L. III. p. 78: quae separatum dein-

cepis typis descripta est. Wolfii Systema Iuris huius exstat in Tomo VI. Iur. Nat. p. 117 sqq.



turali suo, vinculo feudali inter se contineantur. Sed feudalis haec res vniuersa non magnum compleat spatium in scholis ciuilibus nostris

## XXVI

TANDEM *Ius Gentium* ciuitatis, et gentis cuiusque, Statum Externum legibus iuribusque format, et munit. Harum legum iuriumque duplex reperitur ratio, altera mere naturalis, fula originario illo, a natura dato, et foederibus quaeſito, statu, atque efficit *Ius Gentium Vniuersale*: quia totius orbis terrae gentes complectitur, atque adeo proprie est ius naturae, ad negotia gentium omnium accommodatum. Altera nititur consuetudinibus, sed iis, quae inter Gentes Europaeas legum iuriumque vim quandam, per longinquum temporis spatium, adeptae sunt: nuncupatur *Ius Gentium Europaeum*. Quoniam vero huius iuris diuersi sunt fontes, videlicet aequitas naturalis, cum a summo iure naturali, quod strictum dicunt, in nonnullis receſsum est, religio Christiana praecepit pontificia, gentium quarundam foedera a reliquis probata, inaequalis ciuitatum potentia, commerciorum exercendorum, et bellorum gerendorum, ratio vehementer immutata, decorum gentium, dignitati harum vel aequali vel inaequali consentaneum, atque innumeris conflatum caerimoniis, ut reliquos praetereamus: facile cognitu est, perinde ac Vniuersale *Ius Gentium*, Europaeum hoc non mediocrem conficere disciplinae orbem. Illius studium tenuit eruditos inde ab Hugo-nis Grotii temporibus, qui inuestigando hoc potissimum iure nominis consecutus est immortalitatem. Hoc vero Europaeum, cum diu abditum in tabulariis publicis iacuisset, nostra aetate quorundam, praesertim Iann. Iacobi Moferi, labore et studio illustratum est. Vtiusque tamen tractatio, artibus et disciplinis separatis, suscipi debet, ne legum



legum a natura, et consuetudinum a gentibus profectarum  
confusio rursus suboriatur

## XXVII

MORES contra Ciules in vniuersum explicit *Politica*,  
suis circumscripta limitibus: quae, iuribus legibusque sta-  
tus ciuilis in lumine positis, et meliora nanciscitur funda-  
menta, et ornamenta maiora. Ob morum ciuilium diuer-  
situdinem in *Publicam (Staats-Klugheit)*, et *Priuatam (allgemeine Klugheit)* diuiditur. Illa imperantes instituit, et Regum  
quasi est disciplina, quod virtutes, officia, decorumque eo-  
rum, qui clavum reipublicae tenent, eamque aut suo, aut  
reipublicae, aut Rectoris supremi, nomine administrant, tra-  
dit. Post litteras repurgatas, vt a veteribus discedamus,  
inchoata ab Italis est, quos cultiores gentes multae in perse-  
quenda ea et ornanda sunt imitatae. Altera Priuata ciui-  
um omnium, et parentium imperio ciuali, uirtutes, et officia  
cum decoro explanat: sed tot, ac illa, superioribus tempore-  
ribus non viderur naeta auctores, plures nostra aetate. Vtra-  
que tamen adhuc abest a systematis cuiusdam, quod dicunt,  
perfectione: vt adeo hanc a praeclaro viro, qui tam felici-  
ter Wolfianum continuat opus, exspectemus

## XXVIII

IN NEGOTIIS his ciuibus, tam diffusis, tam dissipatis,  
eminent genera tria, quae singula singulis artibus et disci-  
plinis ob rerum amplitudinem et dignitatem, summo fa-  
lutis publicae emolumento, conclusa, atque in academiis  
explicari coepta sunt. Prima est *Oeconomica Publica*, (*die Staats-Wirtschaft*,) quam etiam Cameralem, a Camera,  
dicunt, loco quandam, pecuniae publicae seruandae de-  
stinato. Docet illa huius pecuniae publicae tum conficien-  
dae modum ex vestigalibus et tributis, ex regalibus, quae  
vocant, ex patrimonio principis, tum etiam legitimis sum-  
tibus

tibus erogandae in usus publicos, et Principis, et Ciuitatis. Ostendit aerarii et fisci rationes iam separatas, iam coniunctas. Expendit, qui diuiniarum fontes in Ciuitate sint apriendi, ex quibus, sine ciuium damno, pecunia illa continenter fluat: quae domaniorum, quae vocant, administrandorum sit optima ratio: quid in expensis publicis Ciuitate dignum, quid indignum, atque infinita alia. Huius et reliquarum doctrinarum, quae totae in vitae ciuilis actione consistunt, perfectionem atque absolutionem, fatemur, in academiis expectandam non esse: at uero iidem scimus, multos, eosque summos in Republica viros, his in academia inchoatis scientiis, in omni vitae ciuilis cursu, vehementer et adiutos esse, et adhuc adiuuari<sup>18)</sup>

## XXVIII

PUBLICA haec Oeconomica antiquissimis iam temporibus culta est: deinceps vero diu neglecta: tandem ab Henrico IIII, Galliae rege, has quoque in re summo principe, ipso rerum usu ita tractata, ut fere eius instaurator dici possit. Hic et principibus Europae, quod imitarentur, proposuit exemplum, et eruditorum multorum, maxime in Gallia et Germania, commouit studia, ut doctrinam tam salutarem certatim litteris illustrarent. Nostra quoque aetas, et superior proxima, multorum praeclaras vidit hac de re commentationes post Ludouici de Seckendorf, et Ioann. Iohachimi Becheri, immortales labores, e quibus praecipuae sunt P. W. de Hornek, Guilielmi L. B. de Schroedern, Christophori Hermanni de Schwedern, Simonis Petri Gafferi, Iusti Christophori Dithmari, Georgii Henrici Zinckii, aliorum, praesertim Ioann. Henrici Gottlob de Iusti. Hanc igitur doctrinam in tanta ipsius rei necessitate, et in tanta

D

sub.

18) Cf. Ioann. Petri de Ludewig obseruat. ad Seckendorfianum librum, qui inscribitur *Fürstenstaat*, editus a. 1753. atque his adiectum monitum L. B. de Senkenberg p. 413



subsidiorum multitudine et praestantia, in academiis negligerre velle, iniurium fere in patriam esset

## XXX

**A**LTERA est *Prudentia Aulica et Legionum*, quae de omnibus rebus, ad Principum Aulas spectantibus, exponit, in primis de muneribus, quibus domi forasque, belli et pacis temporibus, respublica gubernatur, de caerimoniosis et uniuerso decoro ciuili, de aedificiis, de aulica iurisdictione, de rebus in aula sacris, de re monetali, de eloquentia ciuili, quae sola fere iustum disciplinae efficit corpus, de multisque aliis, atque in iis tradendis sequitur cum Iuris et Publici Vniuersalis, et vtriusque Gentium leges, tum aularum gentiumque cultiorum consuetudines. Haec doctrina tam necessaria, quam late patens, et ne a Graecis et Romanis quidem posthabita, vti praestantissima testantur monumenta, parrum nostrorum memoria tam impedita erat, vt vix pauca, atque ea valde breuia, capita in academiis explicarentur. At vero nunc, actis et documentis e tenebris erutis, atque eruditorum, vel in luce aularum viuentium, vel procerum fauore nixorum, commentariis ante oculos nostros positis, praecipue Friderici Caroli de Moser, vniuersa multo expeditior faciliorque est facta

## XXXI

**T**ERTIA denique est *Politia.* (*die Policey Wissenschaft.*) Huic voci, restriete sumitae, nostra aetate subiicitur morum ciuilium descriptio in negotiis priuatis, quatenus referuntur ad rerum copiam, vt quisque labore suo necessariae vitae comparare queat, ad vitae generum felicitatem, ne alterum sit alteri impedimento, ad praecidendam viuendi, et sua perdendi, licentiam, alioquin impunitam, ad ordinem et decus intra ciuitatem retinendum. Politiae huius philosophias rationes eruere, necessarium est: cum in ea constituenda

enda adhuc fluctuant, et in diuersa abeant, gentes: quamquam sine ea ciuium felicitas priuata consistere nequeat. Diu de Politia, imperio nostro germanico danda, deliberarunt ordines: sed digna sunt, quae expendantur, quae de condenda ea monuerunt viri illustres<sup>19)</sup>. Multa tamen et perutilia iam viderunt Ioann. Fridericus Vetter, Gasserus, Dithmarus, de Iusti, iam commemorati, et pauci alii

## XXXII

GENTIVM cultiorum denique mores ethicos, oeconomicos, ciuiles, religiosos, caerimoniales, cum iuribus et legibus explicat *Notitia Politica Regnorum et Rerum Europaeorum* (*die Staaten Wissenschaft der Europaeischen Reiche*). Idcirco reipublicae cuiusque conueriones praeципuas eruit: physicam et geographicam territorii, eiusque accessionum, adumbrat rationem: gentis cuiusque linguam publicam (*Staatssprache*), et priuatam (*Nationalsprache*), multitudinem, indolem, opera manu facta, et litterarum studia, tradit. Tum ad reipublicae formam se confert, eamque internam exprimit, quod ad leges fundamentales, domus regnaticis iura et dignitates, regimen, munera publica, iurisdictionem, ordines equestris, monetam, religionem, militiam, attinet. Externum statum spectat ex habitu gentium inter se: quo referendae gentium Postulationes, quas praetensiones dicunt. Ex vtroque tandem statu Prudentiam illam Ciuilem, rationem status vocant, quam gens quaque in tuenda salute reipublicae suae aut sequitur, aut sequi debet, format

## XXXIII

NOBILIS haec doctrina, itidem ab Italis, Machiaueli studio excitatis, in primisque Relationum politicarum architectis

D 2

chitectis

19) L. B. de Spon, et Consil. institutus Moser ad Capitulatum Caroli VII. eiusque Artic. VII. §. 1. T. III. p. 93. seq.



chitectis Venetis, quodammodo informata, ad Gallos, Germanos, aliosque, dimanauit. In academis primum tradita est ab Hermanno Conringio nostrate, quem pauci, consequentibus temporibus plures, securi sunt: nostra demum auctis et fontes, auctis et diplomatibus a Montio, Lambertii, Rousseto, aliis, in lucem prolati, et plurimos classicos auctores, cum gentes cunctae europeae, nostris his temporibus, in hoc ciuilis prudentiae genere ornando perficiendoque, certatim sunt occupatae. Dubium autem non est, ad vitae ciuilis dignitatem quandam aspiranti, doctrinam hanc non vtilem modo esse, sed pernecesariam adeo, ut inter tot homines gentesque, studia haec politica aemulantes, eius inscientia se turpissem sit daturus

## XXXIV

SED lustranti peregrinos hos mores summo decori es-  
set patriorum morum incuria, vel contemptio. Claudat igitur pulchrum Ciuilium Doctrinarum chorum *Politica Imperialis*, yti a B. Hasseno, in cuius locum suffectus sum, in catalogis lectionum publicis Notitia Politica Imperii Germanici nostri aliquoties nuncupata est. Haec eadem ratione in Imperio Romanogermanico nostro, atque illa in regnis et rebuspublicis externis versatur. Sed longe maior hic rerum et varietas reperitur, et multitudo, et diuersitas quoque ab omnibus aliis orbis terrae rebuspublicis, siue conuersiones rerum consideres, siue territorii, vel potius territoriorum rationem, siue factas accessiones Imperii Romani, et Regni Longobardici, quas adhuc tuetur, siue regimini formam singularem, siue Imperatoris, et Statuum, iura, siue autonomiae, iurisdictionis, religionis, et feudorum faciem, siue vt alia fileamus, ipsam prudentiam ciuilem, qua magna haec Ciuitas, cui nulla par in terris, nulla similis est, et contineri, et regi, et ab hostibus communibus defendi debeat. Notitia haec nostris temporibus paullatim idonea adipiscitur, quibus antea caruit, praesidia litterarum: praefertim

sertimi ex quo Ius Publicum Imperii nostri a suis fontibus  
ducere, ipsaque acta et monumenta e tabulariis publicare,  
summi viri cooperunt

## XXXV

H A E C igitur sunt moralis ciuilisque doctrinae genera-  
ra, quae studiosissimis nostra aetate excoluntur, et quae natura-  
lium cum statuum, cum legum morumque, nituntur varie-  
tate. Sed iuuabit forsitan, haec quoque breui tabula ante  
oculos posita habere, quam adeo expeditamus. Nimirum

<i>Legibus et Iuribus fit, et fundat</i>	<i>Statum mere Naturalem</i>	<i>Ius Naturae</i>
	<i>Statum Socialem</i>	<i>Ius Sociale</i>
	<i>Statum Ciuiilem</i>	<i>Ius Public. Vniuersale cum Theoria Iuris Ciuiil.</i>
<i>Moribus vero, siue virtutibus, officiis, decoro etc. confirmatis, et ornatis</i>	<i>Statum Ecclesiasticum</i>	<i>Ius Ecclesiasticum Vniuers.</i>
	<i>Statum Gentium, et quidem</i>	<i>Ius Gentium Vniuersale</i>
	1. omnium inter se	<i>Ius Gentium Europaeum, quo- cum iungi potest Ius Fe- dale Vniuersale</i>
	2. Europaeorum	<i>Ethica</i>
	<i>Statum mere Naturalem</i>	<i>Oeconomica Priuata</i>
	<i>Statum Socialem</i>	<i>{ in vniuers. Polit. Publ. et Priuata sigillatim</i>
	<i>Statum Ciuiilem</i>	
	<i>Statum Ecclesiasticum</i>	1. in negotiis publicis
	<i>Statum Gentium</i>	a. <i>Prudentia Aulica et Legationum</i>
		b. <i>Oeconomica Publica</i>
		2. in negotiis priuatis
		<i>Politia</i>
		<i>Disciplina</i> morum religios. si- ue <i>Hieratica</i> . Sed haec ob breuitatem Iuri Eccles. Vniu. iungi potest
		a. <i>Notitia Politica Regni. et Re- rum public.</i>
		b. <i>Politica Imperialis</i>



## XXXVI

Possunt autem ex eiusmodi Encyclopaedia insignem capere utilitatem et qui modo adeunt academiam, et qui eam relinquere volunt. Illi quasi uno oculorum coniectu late patentem doctrinae moralis campum circum circa lustrant, Encyclopaedia adiutati, futuros academicos labores, tamquam in tabula pictos, intucentur, inde, quod sibi vtile sit, diligunt, et, quod caput rei est, via et ratione in singulis procedendum sit, mature discunt: ne, decursu fere academico stadio, quod saepe sit, praeposlera tempora, perturbatum ordinem, et scientiarum genera aut discepta, aut prorsus neglecta, doleant. Abitum ex academia parantes vel auditam moleftia repetunt, vel praetermissa tum, cum adhuc res quodammodo integra est, cognoscunt, ut, quarum rerum necessitatem adesse, cognitionem vero sibi deesse, sentiunt, earum ex Encyclopaedia notiones, et principia, et methodum, et libros praecipios hauriant, quo inter academicam, et ciuilem vitam, interiecto spatio, si quod fortuna vacuum finat, ea suo studio tractare queant. Quod esti molestum, tamen prudentiae est, omissa in rebus necessariis vtinque assequi, quam iis in perpetuum carere maximo damno suo.

## XXXVII

HAEC fere sunt, quae sub initium praelectionum monere constitueram, et quibus adeo typis descriptis, quatuor vel plures horas priores compendii facio. Historicum ortum, de quo § III et IIII pauca monui, quoad eius fieri poterit, in prolegomenis breuibus, atque in ipsa Encyclopaedia, eruan: ipsum vero doctrinarum moralium orbem ita ducam, ut singularum notiones, principia, et reliqua fundamenta, tum potiores libros, et discendarum consilia suppeditem. Sed forte non alienum est, hoc loco paucis addere, qua ratione opus ipsum doctrinae moralis, Encyclopaedia quasi adumbratum et institutum, publicis priuatisque lectionibus exaedificare soleam. Nimurum ut delectus et lectionum, et ciuium academicorum, habeatur, quae omnibus litterarum, et Theologiae, et Iuris, et Medicinae studiosis necessaria sunt, ea publice in posterum tradam: quae vero magis ad Iuris, et Politices, cultum spectant, etiam si reliquis quoque vtilia esse possint, ea priuatis et priuatissimis docebo scholis

## XXXVIII

## XXXVIII

**I**DCIRCO *Publice* Encyclopaediam primum, deinde Ius Naturae, tum Ethicam, et tandem Politicam ad praecpta mea trado, atque in posterum, sine intermissione, hunc seruabo ordinem, ut singula haec praecipua genera doctrinae moralis, in quibus reliquarum omnium fundamenta ponuntur, singulis semestribus spatii ab soluam, nullasque alias habeam in posterum publicas scholas

*Priuatim* Ius Sociale, Ius Publicum Vniuersale cum Theoria Iurium Ciuilium, Ius Ecclesiasticum Vniuersale, Ius Gentium Vniuersale, atque Europaeum, cum Iure Feudali Vniuersali, itidem ad lineas a me ductas expono, et quidem eodem, quo recensui, ordine ad summum intra annum, aut, cum magis lubet, intra menses nouem. Theologiae studiosorum caussa Ius Ecclesiasticum Vniuersale cum Hieratica disciplina, sciunctum a reliquis, intra trimestre absoluo spatium. In Notitia vero Politica Regnorum et Rerumpublicarum Europearum eruenda sequor Cel. Achenwallum, cuius liber concinnus et elegans, inscriptus *Staatsverfassung der Europaeischen Reiche im Grundriss*, a me aliquoties explicatus est. Haec doctrina, etsi latissimum rerum et dicendi paret campum, atque a Conringio multorum demum annorum spatio dicatur finita, tamen intra annum, vti quoque feci, absolui potest, et a me in posterum continenter absoluetur. Breuius postulantes spatium, vel decemmetre vel semestre quoque, rogantur, ut binas horas ter aut quater singulis hebdomadibus his scholis impendant

*Priuatisse* reliqua, quibus pauci aliquid suorum studiorum impertinent, doceo: videlicet Prudentiam Aulicam et Legationum ad breues propositiones meas: quae tamen ad B. Hasselii quoque Sciagraphiam Politices Specialis (*Entwurf eines politischen Special-Collegii, Viernbergae 1714*) formari acuique potest. De Politica Imperiali, sive Notitia Politica Imperii Romanogermanici commentor ad Cap. I. Notitiae Rerum Euerhardi Ottonis. Oeconomica vero Priuata, Politia, et Oeconomica Publica, aut coniunctim, Dithmaro duce in libro, qui inscribitur *Einleitung in die oeconomiche Policey und Cameral-Wissenschaften*; aut separatim ad Stisseri *Land-Wirthschaft und Policey der Deutschen*, ad Cel. de Iusti *Abhandlung von der Policey*, et ad Cel. Dariellii *erste Gründe der Cameral-Wissen-*



*Wissenschaften* commode explanantur. In omnibus his, et privatis quoque, auspicandis finiendisque ad Commilitonum Praestantissimorum voluntatem me conformo. Propter res controversas diuidandas, in tanto doctrinarum circuitu obtias, nunc in Ius Naturale controversum disputationes et priuatas, domi meae, ab amicis quibusdam singulis mercurii et saturni diebus, et publicas ab Alumnis Regioelectoralibus in Alumneo, quod dicunt, habendas euro: deinceps ad alia moralis ciuilisque doctrinae genera progresurus

## XXXVIII

QVOD vero ad scholas meas, extra Encyclopaediam hanc positas, attinet, e. c. de Historia Philosophica ad Heineccii Elementa, de Historia Ecclesiastica ad Rechenbergii summarium, de Eloquentia ad Cel. Maii oratorem, de Historia Iuris Naturalis ad praeceptiores meas: eas, etiamsi publice quoque plurimas interdum habuerim, tamen in posterum, si qui eas cupiverint, priuatim instituam omnes, ne publicarum ordinem turbem. Publicas tamen illas quatuor aeroafes, si qui priuatim fieri maluerint, iis quoque hac in re lubentissime commodabo. In priuatis etiam priuatissimisque lectiobibus auctores praecipios, ad ituandam librorum notitiam, et fontes scientiarum aperiendos, ex apparatu meo litterario Commilitonibus in manum dare pergam

## XXXX

DEVM immortalem mecum adorent Commilitones Honoratissimi, vt rebus in Saxonia tranquillatis, praesertim redditio nobis PATRE PATRIAE INDVLGENTISSIMO nostro, atque yniuersa pacata Germania, his litteris, suo complexu omnem vitae cultioris actionem felicitatemque continentibus, operam dare possimus

P. P. Trinitatis festo die V Iunii 1515 CCLVII




Wittenberg, Diss., 1756-58



f Sb





DE  
CAVSSIS AVCTARVM  
MORALIVM CIVILIVMQVE  
DOCTRINARVM  
PAVCA  
ENCYCLOPAEDIAE MORALI  
CIVILI QVE

INTRA SEMESTRE SPATIVM ABSOLVENDAE

PRAEFATVR

IOANNES GEORGIVS WALther

CONSILIARIUS SAXONICVS MORALIVM ET CIVILIVM

PROFESSOR PVBL. ORDIN. ATQVE EPHORVS ALVMN.

REGIOELECTORALIVM

VITEMBERGAE cI<sup>o</sup>, I<sup>o</sup> CC LVII

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS

